

A ita partiū, quæ per inflammationē repletæ sunt, medela est materiæ detractio. hæc em̄ repletioni contraria est. cum aut̄ partes ipsæ exhauriuntur, protinus consequitur, ut eadem remissiores efficiantur. itaq; quæ repleta sunt, eadē ut intēta sint, necessario sequitur. ueluti, quæ exhausta sunt, ut remissa sint: quorū neutrum tamē uel densitas uel raritas necessario sequitur, ac ne profluuiū quidē suppressiōne. neq; enim, siquid rarum est, ex hoc aliquid fluat omnino, necesse est. quid enim, si crassum exiguumq; sit id, quod intus est: neq; si spissum, in eo suppressi necesse est. nam, quod multum & tenue est, id etiam per densa foramina effluit. Satius igitur fuerit illos antiquorum uolumina legere, discereq; quot modis, quicquid prius in parte contētum est, idem rursus excernatur. si rarefiat, quod continet: si, quod contentum est, attenuetur: idemq; si incrementum assumat, si uehementius moueatur, si à re aut̄ exteriorē trahatur, aut interiorē pellatur, ac, ueluti ab exterioribus quibusdam, absorbeatur. Quibus omnibus prætermis, si quispiam raritatē foraminum unicam educendæ materiæ causam existimat, is uidebitur ne euidētia quidē cognoscere. siquidem la nam spongiæ, aut in quibus similis raritas est, si, quod intus habeāt, exiguum sit, id non deponere, sed continere manifeste uidemus: si multum, effundere. Cur igitur illi nō in oculis naribusq; & ore, & quæ similī raritate sunt, hoc idem animaduertunt, licere aliquando, non quod rara foramina sint, sed quod humor multus in his partibus sit, idcirco aliquid effluere? Ac fictilia quoq; sæpe uidemus, quæ tam raro corpore sint, ut etiam aquam transfundant, quæ tamē eadem, si mel infuderis, nihil transmittāt. nam crassior mellis substantia est, quàm pro ratione foraminum, quæ in fictili sunt. Ita nec illud alienum erat intelligi, sæpe aliquid ob tenuitatem effluere, quanquàm corpus ipsum, quod continet, non sit à natura perforatum. itemq; nec illud plerunq; naturam, à qua gubernatur animal, quicquid superuacuum erat, id per corpus ipsum continens euacuasse, tanquam exprimentē expellentemq;. Quid igitur difficile erat intelligere eum, qui diligētius in artis operibus uersatus esset: plerūq; enim sic morborum crises eueniunt. reliquas educendæ materiæ causas prætereo. itemq; eas, quæ eiusdem continendæ totidem sunt, illisq; contrariæ. siquidem audire talia non ad aures eorum spectat. Quod autem mihi fortasse assequi posse uidetur, ad id rursus reuertor, oculum humore fluere interdum posse, non quod ulla sit in parte ipsa à modo naturæ facta mutatio, sed quod fluens materia uel multa sit uel tenuis, uel à natura per hanc partē expulsa, scilicetq; oportere fluentem materiam, si tenuis est, crassam reddere, si multa, educere: conatū uero naturæ, si opportunus sit, admittere, nihilq; in ipsum oculi corpus agere, quippe quod nullam fluxionis causam continet. Id autem opinari inflammationum aliam adstrictum esse uitium, aliam mistum, non uideo, quo modo non desipientiæ sit. primum enim quod ab ipsis dictum est, eius obliti sunt, non uel fluentem morbum effluxu iudicari debere, uel adstrictum suppressione, sed ipsos oportere corporum affectus spectare. Cum igitur ex parte omni hi similes sunt, nullaq; in re, quæ nunc inflammatio est ab ea, quæ antea fuit, differre uidetur, nisi quod aliquid ab altera defluit, nihil ab altera, quo modo non uehementer absurdum est hanc mistam, illam adstrictam putare: deinde uero quo modo nec illud, quod facillimum erat, ipsis in cōsiderationem uenit, neq; in manu, neq; in cubito, neq; in brachio, neq; in crure, neq; in femore, neq; in ulla corporis parte alia uisum unquā fuisse huiusmodi genus inflammationis, ut aliquid foras efflueret, sed ijs tantum modo id euenire, quæ os oculosue aut nares occupant? An illis morborum communibus omnibus, quæ mista sunt, Iuppiter interdixit, ne ullum unquam eorum ullam aliam corporis partem attingeret, sed in oculos tantummodo, naresq;, & os sæuīret? Nam inflammatio potest partes corporis occupare omnes, quæ natura sunt aptæ, ut causas illius gignendæ suscipiant. quod uero aliæ sunt raræ natura, aliæ densæ, eo fit, ut ab illis quicquam effluat lapsæ materiæ, in his autem contineatur. Si enim utrem aliāue, quibus ita corpus continens sit, humida re impleas, nihil effunditur. idem si in spongiā agas, quæq; ita raro corpore sunt, protinus id omne, quod superuacuum est, effunditur. Quid igitur difficultatis erat eos animaduertentes, quàm maior omni reliquæ cuti densitas sit, quàm quæ oculis naribusq; atq; ori inest, partium naturæ causam ascribere, mitione longisq; nugis dimissis: hoc enim ita esse declarant inflammationes eæ, quibus in partibus alijs admista exulceratio est. siquidem ab his id effluit, quod tenue est, perinde, ac si in oculis naribusq; atq; ore essent. dum autem illæsa cutis dēsaq; ex omni parte est, cur nihil effunditur, hoc ipsum causa est non inflammationis genus. Rursus, ut siue melle, picēue liquida nec id quidem sine modo, spongiā lanamq; madefacias, nihil effunditur, propter humoris crassitudinē: si ue idem ex aqua agas, aut quibus similis tenuitas est, sed exiguo adhibito modo: sic arbitror, non semper ab oculis aliquid effluit, idq; aut ob crassitudinem humoris, aut quia non is superuacuus est. ut in ijs, qui se habent in statu naturæ. Itaq; licet idem inflammationis genus nulla alia differēs re, quàm crassitudine influentis materiæ, lippitudinem sine fluore facere, quam sapientissimi methodici adstrictam nominant. eamq; differre putant à mista, uerborum suorum obliti, in quæ maxima necessitate adstricti præcipitant, qui morborū effectus in corporibus consistere, non in humidis uolunt. Quo modo igitur, cum eadem in corporibus affectio est, nulla re dissimilis, solam autem humidorum naturam, quæ tenuia raræue sint, sequatur, modo effluere aliquid, modo contineri, dissimilia morborum cōmunia esse putatis? Ita fit, ut ista uestra mistio ne animo quidem

Illogici.

d

concipi

concipi possit. cætera autem, quæ non solum in ijs, qui uictu, sed etiã qui manu, quiq; medicamen-
tis morbi curantur, particulatim peccatis, aliàs fortasse discetis, nisi per hæc uobis adhuc persua-
sum est. nunc uero, cum satis hæc sint ijs, qui introducuntur, præsentibus finem imponam.



GALENI DE OPTIMA SECTA LIBER AD THRASYBVLVM,

Iunio Paulo Crasso Patauino interprete.

Quale esse debet præceptum cuiuslibet artis.

Cap. I

F



INGVLA medica præcepta, atq; uniuersim omnia præcepta in primis uera
esse debent, secundo utilia, tertio iactis principijs consentientia: ex his enim
tribus legitimum præceptum dijudices: nam si unum ex dictis præcepto de-
sit, statim neq; præceptum id dici merebitur. Cum artes nanq; ex præceptis,
& his non quibuslibet consistant, sed primum multitudinem quandam com-
prehensionū esse oporteat, deinde & ad aliquod conducibile pertinere, pro-
pterea omne præceptum uerum esse & utile & consecutionem quandam nō
solum ad præmissa principia, sed etiam ad reliqua præcepta habere necesse
est. Quatenus enim sub comprehensionem quodlibet præceptum cadit, ea ratione uerum esse o-
pus est: falsi nanq; comprehensio nulla est. quatenus autem ad finem aliquem uitæ commodum
pertinet, eò singulum præceptum utile esse affirmandum est. comprehensionum autē collectio-
nem ad præceptorum inter se, & cum subiecto principio cōsensum querere opus est. At, quoniã,
quemadmodum sub uno principe subditorum multitudo mente concipitur, sic & præceptum ad
ante iactum principium refertur, ob id omne præceptum, uerum, utile, consentiensq; esse necessa-
rio dicendum. Quare, si tribus ijs omne artificiosum præceptum censetur, liquidum est & medica
præcepta ijsdem esse dijudicanda. Igitur, quando quidem, uerum quale nam sit, & quo modo æsti-
metur, non semper in conspicuo est, neq; utile, neq; consequens facile deprehendi possunt, notas
horum aliquas iudicandiq; instrumenta in primis tradere necesse fuerit.

Quo modo uerum æstimetur, & diuersa esse iudicia.

Cap. II

VERum sanè ex orationis cū rebus concordia æstimabitur. Sed quoniã rerū aliquæ sensui eui-
dentes sunt, aliquæ sensum latentes: & euentium aliquæ per se innotescunt, ut albus aterq;
color: aliæ non per se, sed ab alijs claritatem adipiscuntur, ut quæ signis deprehenduntur: rursum
rerum sensui abditarum aliquæ intellectui perspicuæ & sunt, & dicuntur, ut bis duo quatuor con-
stituunt: aliæ per ostensionem cognoscuntur, ut id, quo bene uti licet, eodem & abuti, & quæ se-
quuntur, oportet semper sermonem ac præceptum ad speciem propositæ rei, de qua & sermo est,
aut ad quam pertinet præceptum, referre, ac, si de re aliqua sensui euidenti sit, ad illam accommo-
dare: sin uero de re sensui occulta, considerandum, num alicui occultarum rerum sit consentiens.
Iudicia aut de rebus sensui euentibus atq; occultis differunt. Quæcunq; enim sensui euentium
rerū per se de seiphs notitiã pariunt, sensu dijudicantur, ut album & atrum. Quare medici illi iure
sunt deridendi, qui de rebus sensui euentibus sententiam non sensorijs, sed demonstratione ali-
qua ferre conantur: quæadmodum & Asclepiades de membranulis in corde insitis disputas Eras-
stratum deceptū esse contendit, Herophilum enim, qui multa corpora inciderit, eas nō uidisse: cū
ipsi liceret ad sensui euentis rei scrutationē, ut decebat, accedenti, de re postea ferre sententiam,
& non fatuis opinionibus credere. Itaq; rerum sensui euentium, quæcunq; per se deprehēdi ua-
lent, iudices sunt, ut supra retuli, ipsa sensoria. Sed euentium quidem sensui, non per se autē co-
gnitorum iudex est obseruatio, eorum dico, quæ per signa percipiuntur. Iterum sensui abstrusarū
rerum, sicut plures sunt differentia, ita & diuersa iudicandi instrumenta: ex abstrusis autē sensui ali-
qua intellectui perspicua sunt, ut hoc, fieri non posse, ut idem homo Athenis simul atq; in Ægy-
pto sit: aliqua per ostensionem cognoscuntur. de perspicuis intellectui iudicium ex cōi omnium
hominum conceptione habetur: at, quæ ostensione percipiuntur, per consensum cum his, quæ ab
omnibus conceduntur, dijudicantur: rursus cōcessi dijudicatio in plura diuidit, aut enim ex con-
sensu cum sensui apparentibus, aut cum perspicuis intellectui, aut cū demonstratis concessum di-
scernitur. Igitur, quomodo uerum & ad iudicium ueri ducentia iudicari oporteat, explicauimus.

De utilis præcepti dignotione, & euentia sensui non esse artis principia.

Cap. III.

Deinceps de utili præcepto differemus. Vtile præceptum, cum ad artis finem refertur, digno-
scitur.

A scitur. Oportet autem ipsum primum quidem comprehendere posse: si hæc enim desit conditio, ut hippocentauri fel attonitis medetur, quoniam comprehendere nequit, propterea inutile præceptum redditur. Deinde ipsius apprehensionem non conuenit cum uulgaribus esse communem, sed artificum propriam: ideo namque eos falsos esse non dicimus, qui sensui euidentia artis initium esse opinantur. neque enim ex sensui euidentibus ars constituitur, neque per sensui euidentia fit eius traditio: quando quidem nemo sensui nota tradit, sed ea, quæ ex sensui notis præcepta oriuntur, quæ planè sensui subiecta non sunt. Hæc igitur artis principium esse non ab re quispiam dixerit, præcepta dico, ex euidentibus sensui nata uidelicet, quoniam principium tradendæ artis ab sensui euidentibus fit. Quod si quis nota sensui principium esse artis affirmet, se inter artem imperitiamque nullum ponere discrimen ignorat. etenim, si sensui patentium deprehensio eadem in artifice atque imperito fuerit, clarum est huiusce rei causa nihil artificem imperito præstare: quin neque iam artifex erit, si quidem artifici atque inscio eorundem eadem inest cognitio. Quam obrem sensui nota præceptorum inuentionis principium esse iure dicuntur, artis uero principium minime. nam quemadmodum leporis uestigia inueniendi leporis principium non iniuria quispiam dixerit, leporis autem esse principium nullus mente constans affirmauerit, neque enim lepus ex uestigijs componitur, ita nota sensui præceptorum inuentionis principium recte dixeris, quod ab his profecti artis inuectores ipsam constituunt, artis uero principium non item. principia namque in eius qualitatem, cuius sunt principia, referre conuenit. Itaque et artis principia uulgo ignota esse debent. neque enim ars ulla ipsi nota est. præterea artium principia traduntur, euidentia uero sensui non traduntur. quo fit, ut nemo rationabiliter sensui subiecta artis esse principia contendat.

In quibus præcepta consistant, & quid præceptum sit. Cap. IIII

Pæcepta namque aut in sensui notis, aut in his, quæ ex alijs percipiuntur, aut in his, quæ præostensa fuere, aut in manifestis intellectui consistunt, in hunc sanè modum: in euidentibus quidem sensui sic. Quidam plures intuitus sauciato corde morientes, mortis causam scrutatus est: considerans igitur inuenit neque ob facultatis deliquium, neque propter materiæ medicinalis penuriam, sed propter necessarium membri illius usum istos interire. quare cognoscens absque membri huius actione, utilitateque ab ipso corpori subministrata animal superesse non posse, rationeque ea, quæ in sensui manifestis inuenit, colligens, hoc præceptum constituit: Quicumque in corde sauciatur, morietur. Quod igitur ex manifestorum sensui consensu ratione inuentum est, & uniuersum prolatum, præceptum dicitur. quin potius in manifestis sensui præceptum consistit, ut à sensui euidentibus in phlegmone: si quis phlegmone afficitur, ille tumorem habet durum, renitentem, pulsatum, dolorem inferentem. Sunt itaque nota sensui præceptorum inuentionis primordia: at præcepta ex sensui euidentium consensu reperta constituendæ artis sunt principia, & à sensui euidentibus ad hunc sanè modum præceptum conflatur. Ab his autem, quæ ex alijs percipiuntur, hoc modo præceptum colligitur: Si quidem hi casus infestant, hic sanguinis copia laborat: Cui hæc eueniunt, illi secur, aut renes, aut id genus aliquod afficitur. Ab his autem, quæ præostensa sunt hoc modo conficitur: si ante probatum fuerit, quid sit concoctio, & quæ concoquuntur fundi & eliquari, atque ita mox distribui, & ægrotantes non multo in conficiendis cibis labore indigere, ab his huiusmodi præceptum nascitur: Liquidi cibi omnes febricitantibus bene faciunt. Sed ex manifestis ita præceptum oritur: Quicquid est multum, naturæ aduersatur. & illud, Non saturitas, non fames, neque aliud quicquam bonum est, quod naturæ fines egreditur. & illud, Vbi saturitas morbos creat, euacuatio medetur. Nam, cum per se constet in illis quidem, si facultatem uincencia, in hoc uero, si efficiens causa repellatur, quod fiebat, non futurum esse. dicta præcepta fuere composita: omne autem præceptum commune est, & firmum. Quamobrem errant illi, qui eo artem coniectricem aiunt, quod coniecturalibus præceptis continetur. non enim à præceptis coniectrix denominatur, (hæc namque perpetua sunt, sed ab actione & medietum opera: hæc enim incertum euentum habens coniectricem artem reddit. nam omnium artium præcepta æque perpetua sunt, & eterna: Verum, quoniam non omnium artium finis semper attingi potest, eo fit, ut ipsarum non nullæ coniectrices appellentur, quæ incertum ancipitemque, ut dixi, euentum habent, Caterum, quoniam utile diiudicandum esse dicebamus, si ad finem referretur, artis finem proponere necesse fuerit, ut eo patefacto perspicuum fiat, ad quid referentem utile aestimare oporteat.

De fine artium per ipsarum diuisionem. Cap. V.

Artium igitur aliqua, ea quæ non sunt, efficiunt, ut nauium structoria: non nullæ, quæ facta sunt, conseruant, ut nauium gubernatoria: non nullæ utrumque præstant, ut ædificatoria. in facientibus artibus, aut seruantibus unus est consequendi finis modus: propterea in his simplex est utilis aestimatio. sed in his, quæ iuxta faciunt & conseruant, non facile est diiudicare. Non enim, tanquam inutile, refutandum est, quod ad conseruationem non conducit: sed diligenter perquirendum, num quippiam ad eius, quod non est, productionem conferat. Ars itaque medica inter eas est, quæ faciunt & conseruant: non ideo tamen geminum esse artis finem credere oportet, & quod non est, facere, ut pote sanitatem: & eam, quæ est, conseruare: per eadem enim præcepta,

d 2 ut

ut aiunt, sanitatem creans, eademq̃ conseruans geminum habere finem uideatur. Profecto, nisi **E** euidenter eadem essent praecepta ad utrunq̃ finem ducentia, differentibus etiam finibus diuersae utique essent artes, & duae medicaturae. at, quoniam, eadem cum sint praecepta, proposita euariant, una ars differentia habebit proposita: sed me hercule ignorant artis unum esse propositum, sanitatem scilicet, finemq̃ unum, qui est eius consecutio, modos autem consecutionis multiplices. non uariat igitur propositum, neque finis secundum uarium habendae sanitatis modum: siquidem nobis apta officere cognoscentes, modo ipsa nocentia submouentes sanitatem acquirimus, modo ea deuittantes ipsam praesentem conseruamus. quare utile in medicina recte aestimabimus, non nunquam, an ad sanitatem accersendam: non nunquam, an ad eam retinendam conferat, nobiscum reputantes.

De praeceptorum consensu dignoscendo.

Cap. VI

Consensum autem praeceptorum nonnulli ex eo, quod una sint, quarendum censent, multa simul esse ignorantes, inter quae nullus consensus esse dignoscitur, quemadmodum & diē esse, & simul cum ea spirationem fieri dicimus, inter quae tamen nulla intercedit societas. Non igitur consensum ex eo, quod simul sint, diiudicare oportet, sed, quo sublato necessario quippiā auferatur, & posito ponitur, id ei consentiēs & conseruans iure putandum est. atq̃ in uniuersum, quae **F** mutuo inter se dependentia colligantur, per appellatam epicrisim à Grecis, à nostris adiudicatio dici potest, iudicanda sunt: in quibus sanē consequentem epicrisim facere opus fuerit: ad quarundam uero orationum epicrisim necessario quarendus est consensus & consecutio: an uero & ad medicinalium praeceptorum iudicationem ea cōducatur, forsan disquiret aliquis: neq̃ enim, quod medicinale praeceptum utile uerumq̃ sit, cognoscere satis fuerit, sed nihilo secius ipsum, cum alijs cohaerere consentireq̃ opus est.

Modus tres medicinae sectas considerandi.

Cap. VII

Qvandoquidem igitur omnis oratio omneq̃ praeceptum tribus hisce perpenditur, tres uero in medicina sectae celebres sunt, rationalis, empirica, & methodica, age hisce iudicandi rationibus usi & istas singulas diligentius contemplemur, ut uerae ac salutaris ceteris posthabitis adhaereamus. In primis autem, quid inter eas conueniat, quid cuiusq̃ proprium sit, exponere necessesse est: deinde his peractis singulas ad examen redigemus. Trium itaq̃ sectarum professores in hisce consentiunt, quod euidentia praecepta utilia sunt, analogismus, observatio, historia, ad simile transitus, quod historia sine iudicio, non admittenda, instrumenta, applicandorum remediorum **G** modus, quod ex alijs alia deprehenduntur, quod hīdem praesentibus malis eadem sunt facienda, quod adiectionibus, & subtractionibus sanitas seruat, & morbi fugantur, quod ad sanitatem retinendam & morbos tollendos nocētium usus fugiendus est, quod ad materiae adhibendae notitiam experientia potens atq̃ utilis est. quae nutriunt enim, & quae non nutriunt, purgantia, & mortifera, experientia omnia comperta sunt.

Quibus sectae differunt.

Cap. VIII

Sub hoc communi empirici subsistunt, non solum facultates, sed etiam conferentia observatione fuisse inuenta testantes. At uocati methodici ultra id cōmune dictum, quiddam ab empiricis diuersum adiiciunt: aiunt enim, antequam adhibendorum remediorum uires quis didicerit, nihil aliud utile ab experientia prouenire, nullum enim conferens ex observatione accipi posse, cum simpliciter conferentia ex quibusdam sensui apparentibus colligantur. Rationales uero medici inter hos medijs ingrediuntur. neque enim omnia utilia ex observatione aiunt deprehendi, quemadmodum declarant empirici: neque rursus omnia ex indicatione inueniri, ut uolebant methodici: sed nonnulla ex observatione deprehendi, ut mortifera, & uenenum morsu fudentia: nonnulla ex indicatione, ea uidelicet, quorum causae reperiuntur. Inter methodicos igitur atque rationales eatenus conuenit, quatenus utrique ex indicatione utile percipi arbitrantur: quatenus uero à diuersis accipiunt, eatenus dissentiant: siquidem methodici ex sensui euidentibus quibusdam utilia putant indicari: at rationales ab huiusmodi quidem minime, sed ab occultis. nam, cum à causis indicationes creari censeant, causae uero, ut causae sunt, sensui euidentes non **H** sint, iam constat apud eos ab sensui notis indicationes non fieri, sed ista esse praeuia & ueluti manu ducere ad eorum, quae indicare possunt, notitiam asserunt. Hoc itaq̃ rursus empirici rationalibus assentiunt, à nullo sensui apparente utilis indicationem proficisci. Hoc uero aliud commune est & ab omnibus medicis concessum, sensui nota uidelicet usui esse, ut aiunt empirici, ad obseruanda ea, quae ex ipsis colliguntur, cum observatio in eorum aliquibus sit: ut rationales uero, quod ex ipsis indicare potentia deprehendantur: ut methodici, ad ipsa utilia percipienda huiusmodi euidentia ex usu sunt. Rursus hoc loco inter empiricos methodicosq̃ conuenit, occultum ex euidentibus non agnoscere, ex quo conferentium indicatio oriatur. empiricis autem atq̃ rationalibus commune est, in claris sensui utilia obseruare. Inter methodicos autem & rationales, consensus est, ex sensu cognitis utilia deprehendi. methodici nanque ipsum utile aiunt ex talibus elici: rationales uero ipsa utile indicare potentia ex euidentibus, utile autem nullum erui decernunt.

Anunt. Sed ad eos, qui ex patentibus causis utile quodpiam inueniri putāt, ut in palo, exempli causa, dicendum est non ut ex perspicuis; sed ut ex causis in huiusmodi utile reperiri: causa uero, ut causa est, non est sensui euidens, sed ex casibus deprehenditur. Igitur, si extremæ cuti arenula paxillusue inherens dolorem non moueat, neque sui sensum excitet, non percipimus: causa enim alius non est, quodlibet faciens: quicquid enim causa est, sensui non apparet, ut causa. nam, quæ ad aliquod se habent, ut huiusmodi sunt, non sunt nota sensui: ipsa uero, quæ ad aliquod se habent, conspicua sensibus sunt, ut pater, seruus, frater, & id genus alia: ipsa quidem singula cernuntur, sed ipsorum ad alia relationes non sentiuntur.

Quod ex abditis utilia reperiantur contra methodicos & empiricos.

Cap. IX

Postquam igitur diiudicandarum rationum instrumenta docuimus, communiaque & propria sectarum perstrinximus, deinceps necessarium fuerit unamquamque sectam diligenter excutere ac diiudicare, atque ita meliorem, quæ uisa fuerit, amplecti. Empirici sanè, ac methodici rationalibus contradicentes inutilem esse aiunt rerum abditarum notitiam, nihil enim abditum utile reperiri. Ad hoc rationales respondent separatim utrique sectæ: ac primum empiricis dicunt, Sensu cognita non satis esse, ut in ipsis utilia obseruatione deprehendantur: nam & occultis opus est, siquidem ab his conferentium indicationes enascuntur: cuius rei testimonium est, quod uos ipsi non in omnibus sensu perceptis obseruatione utimini, sed in quibusdam, quæ quiddam plus, quam cætera euidencia sensui, contineant, in quibus obseruandum est, quod non patet sensui, quod si est, abdita non inutilia fuerint. Nota igitur sensui, si ut talia ad utilium inuentionem capiantur, omnia ad id conducent, aut non: at omnia ad id conducere si dicamus, incredibile fuerit: quod si non omnia conducibilia, necesse fuerit plus aliquid, quam euidenciam continere, quod percipere non ad sensum, sed ad rationabilem potentiam pertinet: ea uero abdita dignoscit. quare & rationabilis facultas & res abditæ non incōmodæ sunt. nā, si nota sensui, ut nota sensui sunt, inter se non differunt, patet omnia, quantum in ipsis est, eque ad obseruationem esse idonea. quare & minima quæque tam præterita, quam præsentia commoda fuerint: id autem fieri non potest. quo modo enim in stragulis, uestibus, & cubili, ubi æger cubauerit, atque id genus alijs quippiam aliquis obseruauerit? Manifestum igitur est non in notis sensui, quatenus talia sunt, obseruationem uersari, æque enim in omnibus uersaretur, sed in quodam altero, quod non apparet. si hoc uerum est, iam id efficitur, occulta usui esse. Veruntamen unde inquirunt dignosci in hisce euidencibus obseruationem posse fieri, in illis uero non item: haud enim facile est ab istis euidencibus, quatenus ita euidencia sunt, istud accipere: ita enim omnes uel triuales dignosceret, in quibus nam euidencibus obseruandum esset, atque ita nihil nostra experientia à uulgi imperitia distaret. Quod si non omnibus constat, quibus euidencibus obseruatio sit adhibenda, solis autem id artificibus notum est, sequitur in sensui euidencibus, non, ut euidencia sunt, conferentia obseruatione deprehendi. quoniam enim hoc est euidens, in quo obseruandum est, id utique non est euidens, sed occultum, admodum autem istud nouisse expedit, propterea & occulta ex usu sunt. Ultra dicta etiam, quandoquidem dicunt empirici & in præteritis & in præsentibus obseruandum esse, ideo & transacta curiose disquirunt, infinita uero sunt etiam præsentia, & in infinitis obseruatio fieri non potest, clare sequitur, eorum obseruationem ex his esse, quæ fieri non possunt. In Methodicos autem sensui perspicua conferentium demonstratiua esse putantes, hæc adducunt rationales: Sensui nota ex seipsis percipi possunt, & uulgo igitur nota erunt: quoniam uero & communitates indicant, simulque cum indicantibus indicata sese offerunt, uulgaribus utique communitates indicabunt: atque ita nihil à uulgaribus à Methodici differetis. Quod ab affectibus uero conferentium indicatio non proueniat, per hæc demonstrare licet. eodem affectu, exempli gratia, phlegmone differētes corporis sedes occupante, ut oculos, aut iecur, aut gulam, non eadem curatione, sed diuersa utendum: oculo nanque inflammato opium conuenit: gulæ autem, uel ori uentriculī, & iecori aliud quippiam: at oleum oculo nocet, in alijs uero inflammatis partibus dolorem mitigat. Ex his manifeste concluditur, ab affectibus conferentia non indicari: idem enim in omnibus eodem affectui remedium admoueretur, siquidem affectus conferentium esset indicatiuus. Hoc pacto etiam methodicorum placitum demoliri possumus. eodem affectu eundem locum uexante pro causarum differentia differente curatione homines indigent, ut in urinæ suppressione, si sit calculus, excisorem adhibebimus: si urinæ copia, fistulam demittimus: si phlegmone, cataplasma superdamus. Quod si ab affectibus conferentium indicationes orirentur, uno affectu proposito una & eadem etiam curatio assumeretur. sed una non sumitur eiusdem affectus curatio, non igitur ab affectibus conferentium indicationes accipiuntur.

De indicatione, obseruatione, analogismo.

Cap. X

His itaque summatim expostitis non inutile fuerit indicationē, quid sit, circumscribere, & quomodo ab indicatione utile capiatur: quid sit obseruatio, quomodoque ex obseruatione utilia deprehendantur: quid sit analogismus, & qua ratione ab eo utile sumatur. Quemadmodum igitur sensui euidencium aliqua per seipsa percipiuntur, ut album & atrum: non nulla adhibita obseruatione;

llagogici;

d 3

uatione;

uatione, ut ea, quæ per notas dignoscuntur, ita & iuuantia quidem per indicationem patefiunt: si enim cum indicantibus obuia sunt, nulliusq; cogitationis ope indigent. Hanc enim ob causam & animantia ratione carentia estum, algorem, semelq; omnia nocere ualentia, quoad eius fieri potest, uitare conantur, simul uidelicet eo, quod iuuat, sese offerente. Paxillo enim aut aliquo alio in membrum defixo nullus cogitatione præmissa reuellit. Quare quod in apertissimis & sine controuersia concessis reperitur, (omnibus enim demonstratione transcendentes mens nostra propter euidenciam assentitur) id nimirum & in perceptis ex indicatione contigerit. Quædam igitur proportio indicationi cum sensui intellectuiq; manifestis intercedit: quando enim cum nocentibus iuuantia pariter occurrunt, tunc neq; obseruatione, neq; analogismo utendum, quando quidem ipsa nocentia, quid expediat, manifestent. At obseruatio proportionem ad ea respondet, quæ per notas comprehenduntur: sicut enim ea per coobseruationem comprehendere affirmamus, ita & hic iuuantis obseruatio fieri dicitur. In quibusdam enim plerumq; eodem modo occurrentibus absq; agentium causarum cognitione iuuantis obseruatio efficitur: ut est in dentium stupore portulaca: neq; enim contentiua causa hic quicquam demonstrat, neq; aliqua cogitatione auxilium reperitur. In his, qui hyosciamum epoti sunt, aut quippiam id genus mortiferum assumpserunt, inter initia sane curatio à causa & loco accipitur, sed causa ignorata iam deinde obseruatione perceptis utimur: uomitum enim ab initio admittimus, causa huius electione indicante, & loco modum electionis suscipiente: postea uero causam ignorantes, obseruatis, uino scilicet & lacte utimur. Verum ex analogismo iuuans percipitur, quando causa quidem delitescit, nullaq; obseruatio habetur, sed affectus quam simillimus ex casibus est. in huiusmodi enim ab indicatione profuturum colligi nequit, causa nanque ignoratur, nullaq; præterea facta obseruatione, casuum similitudinem intuentes cogimur ad simile transgredi. Aliquis nanq; à serpente hemorrhho uocato demorsus fuerit: inde sanguis largius effluat: nos causam, quare id patiatur, nescientes, neq; obseruatione instructi, auxilijs ad sanguinis ob incisionem profluvia facientibus opitulabimur. Atq; hac ratione Cnidij medici pulmones purulentos habentibus succurrere tentabant, transitu ad simile utentes. quoniam enim, quicquid in pulmonibus est, per tussim extruditur, linguam amouentes aliquid humoris in arteriam instillabant, quod tussim uehementem concitare posset, ut ex casus similitudine perscruteretur: analogismus itaq; per transitum ad simile fit, analogismo nanq; utentes à similibus ad similia transimus. Empirici uero secus, atq; nos, huiusmodi transitum usurpant. nam à simili transitum ab auxilijs ad auxilia, aut ab affectibus, ad affectus fieri affirmabant. ab auxilijs ad auxilia hoc modo, cum ijdem adsint casus, qui & in alijs uisib; ægritudinibus aderant, tum à simili transitum facimus, ut à cotoneo ad mespilum. Verum aduersus ipsos dicendum est: fieri à uobis non potest huiusmodi à simili transitus. utrum enim ratiocinatione utentes à simili ad simile transitis, an obseruatione: si obseruatione, obseruatio est eius, quod fit, & quod cognoscitur, & non ad simile transitus. sin ratiocinatione, ab ipsis sciscitabimur, num omnium casuum similitudinem spectantes, transitum à simili ad simile faciant, an aliquorum. Si omnium responderint, nihil unquam alicuius secundum omnia simile reperietur: quæ enim inter se aliqua ex parte non differunt, hæc omnia similia, sed eadem planè sunt. Sin aliquorum casuum similitudinem se contentos affirmet, iterum sciscitabor: num similitudinem in figura, aut in colore petitis, an in duritia & mollitudine, an potius secundum gustatum olfactumq; similitudinem æstimatis: quod si secundum gustatum dixerint, aut aliud quippiam, clarissime fatebuntur iuuantia, quatenus iuuant, se deprehendere. ex quo efficitur, ut ipsos etiã confiteri necesse sit se nocentia, ut nocet, dignoscere: quo enim iuuantia nocentibus aduersantur, eo iuuare dicuntur. Si mespilum igitur, quoniam gustatilem qualitatem cotonei saporis simile habeat, torminosis adhibetur, scire oportet ipsum gustatili qualitate prodesse. cumq; ipsam adstringere in confesso sit, simul etiã contrariæ qualitatis facultatisue esse nocentia cum huius perceptione succurrit. Quod si comprehensibili causæ remedia contraria sunt, manifeste concluditur, occulta posse deprehendi, & ad usum idonea cognosci.

Descriptio indicationis, experientia, & analogismi, & ad singulas sectas, Empiricam uidelicet, & Methodicam impugnandas transitus. Cap. XI

Quo modo itaq; ex indicatione utile percipiatur, supra positum est. In præsentia uero dictorum cuiusq; descriptionem explicabimus. Est igitur indicatio iuuantis comprehensio simul cum comprehensione nocentis adueniens, sine obseruatione aut ratiocinio: Experientia uero est eius, quod frequenter et eodem modo uisum est, comprehensio atq; memoria. aut sic etiã describere potes: Indicatio est, quando rebus percipiendis simul, & quod confert, percipitur, absq; ostensione & obseruatione: at Experientia est eius, quod sæpius & eodem modo uisum est, obseruatio atq; memoria: idem est uero obseruatio & experientia. Analogismus autem est comparatio & perceptio causarum iuuantiũ per similitudines. At deinceps, propria cuiusq; sectæ cum exposuerimus, aduersus singulas, empiricam dico, & methodicam, rationes inducemus. sunt uero hæc empiricorum propria: iuuantiũ in cõcurrib; obseruatio, historia, à simili transitus, quemadmodum ipsi faciendũ præcipiunt: alio. n. modo rationales medici à simili transitum usui accomodant, ut posterius differentiam ostendemus. Quod

Quod Empiricorum observatio sine ratione præstari non possit. Cap. XII.

A Verum Empiricis contradicentem duobus modis in concursibus observationem accipere opus est: nam facultatum observatio communis est, accidentium uero illorum propria: aut enim ipsam prorsus tollere tanquam esse non possit, opus est: aut esse quidem posse cōcedere, sed absq; ratione explicari non posse. Primum igitur, quod & absq; ratione observatio explicari, nequeat, per hæc quispiā ostenderit. confitentur empirici se non omnes euidentes casus observare: neq; enim se flauitiem, exempli causa, aut albedinem, aut similitatē aduncitatemue observare affirmant, quamuis & in coloribus discrimen aliquod animaduertant, ut in auriginosis: & in figura, ut in fracturis luxationibusq; sed in antedictis minime. Quemadmodum enim, inquiunt, ab indicatione conferentia sumi profitētes, non omnia tñ indicare testantur, methodici nanq; euidentium aliqua indicare affirmant, non omnia, rationales uero abditorum aliqua, & non omnia, ita & empirici in quibusdam casibus, nō in omnibus observationem ponunt: neq; enim præterita omnia, neq; præsentia utilia ad observationem esse arbitrantur. ut, exempli causa, quispiam à rabiente cane demorsus est. accedens empiricus id tantum satagit, à rabiente cane demorsus fuerit: aliorum antegressorum nihil explorat: pariter & circa præsentia nihil laborat: neq; enim, ut ante diximus, capillos rectos crispōsue considerat. Quocirca ab ipsis causa iure petenda est, quamobrem non in omnibus casibus, sed certis quibusdam conferentia obseruent, quandoquidē casus, quatenus sensui euidentes sunt, tam illi, in quibus fit observatio, quàm cæteri inutiles nulla ex parte dissideant. Dicunt igitur, quidnam utiles casus monstrat, apparēnsne, aut occultum: si apparens esse dixerint, quo utiles casus produntur, & in quibus obseruandum est: inferemus iterum, hoc apparens, quatenus apparet, nihil ab inutilibus casibus distare. Quod si occultū esse utile casuū indicans affirmēt, occulta ad casuum observationem cōducere fateantur, necesse est. at occulta nulla uia alia, q̃ ratione, comprehendī queunt: quare, si occulta utilia sunt, in concursibus occultorum est observatio: & si nihil aliud ea, quàm ratio, comprehendit, apertum iam est absq; ratione observationē fieri non posse. Hæc fanē argumentatio eos fateri cogit rationem in obseruando esse percommio dam. Verum empirici nobis refragantes inquiunt & utiles casus experientia posse deprehendi, & in aliquibus casibus obseruandum esse, in aliquibus uero nō: idq; se observatione cognouisse. Ad hoc præstō responsio est: cum infinita sit casuum multitudo, in quibus non sit obseruandum, in omnibus id ipsum obseruari non potest, in ipsis scilicet observationem non esse faciendam: infinitum enim obseruari, custodiriq; non potest. Vltimum itaq; ipsis undiq; oppressis confugium relinquitur, ut forte euenisse dicant in hisce casibus observationem factam esse: in illis uero minime. quo quid magis ridiculum fuerit: hic quidem sermo iste finiatur.

Observationem in concursibus, Empiricorum more dari non posse. Cap. XIII.

Quod autem in concursibus observatio colligi nequeat per hæc argumenta declarabo. Sic enim aiunt empirici. Observatio non in uno duobusue, sed in plurimis frequenter conspectis, & eodem se modo habentibus fit. interrogati igitur num in iisdem casuum generibus utilia obseruent, necessario in iisdem se generibus observare affirmabunt: nam, si in hoc, exempli causa, febris sit, & phlegmone, in hoc biliosa per uomitum aut sedem fiat excretio, nequit eadem esse observatio. Eisdem autem genere casus satis fore neutiquam dixerint, sed etiam numero æquales esse oportet. nam, si iisdem genere casus fuerint, non omnes autem, ut plures adsint, concursus euariat, atque aliam observationem exigit: opus est enim mihi iisdem generibus & æquis numeris observationem fieri. Quo modo autem omnis curatio ob excessum defectumq; casuum commutabitur, hinc iam considerandum est. Est igitur quædam in phlegmone obseruata curatio, quod si aliquis à phlegmone casus abfuerit, utpote sensus, & curatio mutanda est: nam Phlegmone iam in scirrhum euasit, neq; eadem curadi ratio conuenit: atq; ita penes casus absentiam curatio diuersa est: penes uero abundantiam adhuc modum. Si phlegmonæ febris aut syncopa adiungitur, ob casuum abundantiam concursus differens factus est: quare & differens adhibetur curatio. Neque solum genere iisdem & numero æquales casus esse debent, uerum etiam & magnitudine neque excellere, neq; deficere conuenit: quandoquidem & penes casuum magnitudinem permutatur curatio. neque enim superficie tenus factas diuisuras suimus, neq; etiam ieiunio quispiam utetur: at, si profundior sit incisio, ieiunium imperamus, uenā soluimus, fibulas adhibemus, & huiusmodi. Neq; satis est casus genere conuenire, numero æquales esse, & magnitudini similes, uerum etiam tempus oportet observatione completi: alia nanq; incipientibus morbis auxilia adhibentur, alia uigentibus: incipientibus enim siquid uidetur mouendum, moue, uigentibus quietem agas, præcipit Hippocrates: & phlegmone incipienti quidem reprimentia adhibemus, post id autem cataplasmata, & irruentem materiam dissipare ualentia. Præterea & ordinem dictis omnibus in obseruatione adiungere opus est: uariante enim ordine & concursus euariat, iccirco & medendi rationem uariare necesse est. aliter enim prius furentes, deinde febricitantes curamus: & aliter febricitantes prius, deinde furentes, siquidem mortiferi, & non mortiferi, prout habet casuum ordo, affectus euadunt: quemadmodum euentus ostēdunt. à neruorum quidem conuulsione febris non solum periculo uacat, uerum & morbu propulsat: sed à febre conuulsio mor-

tifera est: permutato uero penes casuum ordinem concursu, necessario conceditur (ut ex euentibus patet) & medicationem permutari. Quamobrem, cum prorsus oporteat casus non modo genere eisdem, numero æquales, magnitudine similes adesse, sed etiam idem tempus, eundemque ordinem seruari necesse est, si debeat integra obseruatio fieri, cumq; in omni uita ne duobus quidem ægrotis, nedum pluribus omnes supra enumerati casus accidere similiter queant, clarum est huiusmodi obseruationem in istis concursibus fieri non posse. Non posse autem prædicta omnia in omnibus aut pluribus reperiri, ita quispiam demonstrauerit. Quoniam causis, passis locis, ætate, consuetudine, symptomatum acerbitate, laborantis natura, anni temporibus, regionibusq; dissidentia uitia gignuntur, duobus hominibus prorsus contingere non potest. ut similiter in omnibus sese habeant. hanc ob causam in concursibus obseruatio fieri nequaquam potest. quod si duo etiam nulla in re differentes inuenti fuerint, neque tamen propterea obseruatio concedenda est, quandoquidem ipsam in pluribus fieri opus sit. Cæterum quomodo uos (illi inquit) uestrum ipsorum placitum confirmatis? uidemur enim ipsis symptomata & facultates obseruare non posse. ueratrum enim purgare, aliqua animalia uenenum ictu infundere obseruatione compertum est: & in dentium stupore causa quidem comprehensa non est, sed portulaca ipsum dissolui obseruatum fuit. Sic uero ipsis respondendum est: Nos quidem utilia symptomata circumscribentes eo, quod ad proposita referamus, ex usu utile iudicamus. cum igitur & à causis illata omnia symptomata comprehenderimus ut grauitatem: & à locis, ut ægre respirare: & à facultate, ut animam deficere, inuenimus hæc esse utilia, reliqua uero inutilia. Quoniam igitur utilia symptomata per relationem ad proposita circumscripsimus, quæcunq; causæ, loci, facultatis uel sunt symptomata, ea utilia reputamus, quæ non huiusmodi sunt, inutilia. Igitur tametsi neque morbiferas causas, neq; perpellos locos cognouimus, cum facultatem ut dixi, habeamus utilia symptomata ab inutilibus distinguentem, neq; agentes causas, affectusue sedes obseruare possumus, ut sanguine infestante, non dignoscentes sanguinem esse morbi causam, à grauitate, quæ symptoma est subsequens, causam esse rimati, à grauitate ueluti manuducti in ipsa obseruationem facere possumus. Sic & in spiritus difficultate, id uentriculi, aut pulmonis, aut iecoris, aut transuersi septi, aut alius cuiuspiam affecti loci symptoma esse ignorantes, solum id locum affectum esse scientes, perinde in ea, atque in ipso affecto loco, obseruare poterimus. quæ autem neque loci, neque causæ, neque facultatis symptomata sunt, ea tanquam abundantia reiicimus. Vtile igitur atque inutile in quibus propositis obseruemus, empiricis dicendum, nos scilicet in solis symptomatum generibus obseruare, in quibus neque potentia, neque tempore, neque magnitudine, neque ordine, neque alio quopiam opus est, ut in dentium stupore portulacam. Quid igitur prohibet, fortasse dicent, & nos ad hunc modum obseruare: si in istis, respondebimus, symptomatum generibus obseruatis, quæadmodum & nos modo diximus, nulla est cōtrouersia, at si in reliquis etiam, ubi tempus, magnitudo & potentia requiritur, iam inter nos non conuenit. Cæterum, si dicant, morsum hæmorrihi plura symptomata comitantur, & uos nihil in his obseruatis, nos contra respondebimus non in illis symptomatis, sed in antegressa causa nos obseruationem facere: symptomata uero ad antegressarum causarum cognitionem, in quibus obseruationem statuimus, exploramus: causa nanque ignorata, & facultate curandi ex indicatione carentes, obseruationem in antecedentibus causis præstamus. obseruamus autem non solum in causis, sed etiam in loco uno: in iecoris itaque atque in lienis affectu quædam obseruauimus. Si uero dixerint ista singula unum symptoma comitari, dicemus nos, interdum non unum, sed plura: multa uero curiose persequi mur, non ut in ipsis obseruationem conficiamus, sed ut id, in quo fit obseruatio, consequamur, in iecinorolis affectu esse iecur, in quo obseruatio statuitur, & in alijs ad hunc modum. Cæterum plerunque in prægressa causa fit obseruatio: non enim in dentium stupore portulaca obseruatur, sed in affectu ab acidis acerbisue creato. Igitur, cum ex fluctione aut uomitu aut secantis feræ stridore dentes obtorpuerunt, nihil in portulaca præsidij est. prius itaque causam rimati, ob quam dentes stupor obledit, deinde sic ea utamur. quæ in his uero accipiuntur, antegressis causis minime aduersantur. neque enim alia continentibus causis adhibentur. Hæc sanè aduersus obseruationem in concursibus facientes afferri possunt. Interrogandi præterea sunt empirici, quo modo administrandorum auxiliorum mēsurā aut tempora sint obseruanda, aut quo modo ciborum tempora & mensura.

Empiricorum historiam inanem esse. Cap. XIII.

Verum enim uero ipsorum historiam inanem esse, neq; cōfici posse in præsentia patefaciam. Utuntur sanè Empirici historia eam ob causam. frequenter morbi quidam exoriuntur, ad quos nullum auxilium ab ipsis obseruatum est. ut igitur & hac in difficultate aliquibus remedijs abundare possint, neq; fortuitum euentum expectent, historia usi sunt: neq; hac tantum de causa, uerum etiam ut breuior esset traditio: non potest enim nouus medicinæ discipulus omnibus symptomatis obuiam fieri, atq; in omnibus obseruationem facere. Nequis igitur omne uitæ curriculum discendo consumat, sed aliquando & arte utatur, iccirco ad medicandum utilem historiā esse asseruerunt. conficitur autem aut præsentium historia, ut illud carmen,

Ferro